



SYLLABA ACVITVR

PERPAVCAE OBSERVATIONES DE ACCENTVS LATINI TERMINIS

APVD VETERES GRAMMATICOS VSVRPATIS¹

ALEXIVS BELOV

Summarium

Hoc in commentario antiquissima de accentus Latini natura quaestio disputatur: si, ut ex typologorum legibus sequitur, accentus Latinus, qui syllabam, non moram culmen haberet, non potuit sensu proprio ‘tonalis’ esse (quodque non solum ad infimam Latinitatis aetatem pertinebat, sed etiam Ciceronis tempore fuisse uidetur), cur ueteres grammatici – et ii paene omnes – de acuti et flexi accentus discriminē uariisque tonalibus motibus professi sint? Ego quidem non tantum errasse grammaticos puto, quantum nos nonnullos eorum terminos non recte interpretari. Nam in pluribus locis eos non de rebus phoneticis, sed de notis graphicis dicere; in illis tamen, quae ad accentus enuntiationem uere pertineant, partim modulationes ex phrasi ortas suspicandas esse, partim id, quod apud phonologos *cibrum prosodiacum* nuncupetur.

Abstract

At the present time we have strong typological and theoretical arguments against the pitch accent in Latin, despite some ‘obvious’ testimonia of the Roman grammarians, esp. concerning the difference between acute and circumflex variations. Does it mean that Roman terminology was simply (and ‘slavishly’) borrowed from Greek, or that the problem is a little bit more complicated? Here I would like to show that in many cases grammarians told us about the system of diacritics, used in the written language, but not the real tones; from the other hand, some clear phonetic descriptions could be explained by means of so called ‘phonological sieve’, discovered by N. Trubetskoy. Also I show some influences of the Stoic philosophy on the prosodic theories of Greeks and Romans.

¹ Non facilis inuestigandi labor donatione maxime mihi subleuatus est, quam (*ad phil. doctores adulescentes fauendos*, № MK-7004.2012.6) ex Concilio apud Russiae Foederatae Praesidentem acceperam. Etiam doctori Em. Plantade sum gratissimus, qui multa mihi ad opus augendum suaserit.

Cum Dr. Emmanuel Plantade dignissimus meus collega mihi proposuit ut aliquid de grammaticis Latinis scriberem, non diu, quid mihi esset scribendum, dubitauit atque hoc opuscolum Latine exponi statui. Quod enim breuissimum est summarium tertiae libri mei partis *De accentu Latino* Moscouiae Rutenice editi (Белов, 2009), qui lectoribus occidentalibus nondum bene notus est; quod summarium etiam nonnulla noua ineditaque in se continet, quae in alterum *De Graeca ac Latina prosodia* librum, qui nunc (quoque Rutenice) praeparatur, inclusurus sum. Quamquam igitur haec omnia uariis annis uariisque casibus erant scripta, non inutile fore putauit si quid – denuo recensa atque Latine reddita – afferant: cum nostris lectoribus iucundi, tum ueteribus (quod maxime optandum) grammaticis honoris.

Hoc in opusculo unam ex antiquissimis quaestionibus ad grammaticam Latinam pertinentibus – cum ipsum ad systema, tum et doctrinam — disputaturus sum: quomodo ea, quae a ueteribus grammaticis de accentus Latini natura dicta sunt, cum nouissimis inuentis, quae typologi aliquie linguarum studiosi fecerunt, conueniant. Ea quaestio, quamquam simul cum linguarum doctrina (saec. XIX) orta erat, difficillima tamen facta est ad medium XX saeculum, cum doctrina phonologica dignissimum locum suum in linguarum studiis obtinuisse: nam tunc A. Schmitt (1924), R. Jakobson (1937a, 1937b) et N. Trubetskoy (1939) euidenter ostenderunt tonalem accentum non posse tota in syllaba simul locari: eum enim uel syllabae partem occupare ('schwachzentralisiert' apud Schmitt), uel eam, quae apud Jakobson et Trubetskoy *mora* nuncuparetur. Typologi hodierni, inter quos et ego uersari soleo, etiam plerumque non dissentient accentum Latinum inter tonales non esse ponendum. Quam ob rem maxima difficultas oritur, quomodo nobis aestimanda sint grammaticorum testimonia, qui de accentus Latini tonis, acutis ac flexis, eorumque discrimine, paene una uoce profitebantur: utrum omnino falsa sint, ut nonnulli putant, an sit quaedam ratio, quae ueteres grammaticos cum hodiernis typologis conciliare possit.

Hic igitur tria mea propositurus sum:

- (1) in primis perpaucis de Stoicorum in grammatica Latina uestigiis commemoraturus sum, quae clariores nobis aliquos grammaticorum terminos reddant;
- (2) deinde in pluribus locis grammaticos (plmq. qui uergente Latinitate floruerunt) non de rebus phoneticis, sed de notis graphicis scribere puto, quae eo tempore in usu scholari essent;
- (3) in illis denique testimonis, quae certe ad enuntiandum accentum pertinerent, partim modulationes ex phrasi ortas eos notasse, partim id, quod apud phonologos interdum *cibrum prosodiacum* nuncupatur.

Sed priusquam de meis loquar, aliquid de alteris opinionibus, quam breuissime, mihi dicendum est.

1. De opinionibus principalibus

Viri docti, cum testimonia Romana ad accentum Latinum pertinentia disputatione, saepissime ea pro certo modulationis tonalis indicio habere solent; multi igitur et antea, et nunc de accentu, ut ita dicam, «*musicali* (sive *tonali*)» dicunt; quae tamen sententia non bene cum alteris – phonologicis, metricis, historicis, typologicis factis, quae nunc habemus, congruitur. Illi autem, qui plus linguarum systema, quam grammaticorum testimonia credunt, uice uersa quasi «*dynamicum*» accentum in lingua Latina fuisse uolunt atque saepissime de Romanorum grammaticorum erroribus, si non de crimine, dicere solent, perplurima inepta Graecorum terminorum adaptatione explanantes.

Argumenta igitur «pro tonis», quae primus Benloew (1847, p. 40 sqq.) proposuisse uidetur, e.g. in (Juret 1921, 1938; Meillet & Vendryes 1948; Niedermann 1945; Perrini 1970; Тронский 1951, 1953) continentur: haec plerumque a Gallis, Italis et Rutenis dabantur. Quorum maxime notandi mihi uidentur Perrinus ac Tronskius, qui paene omnia a grammaticis dicta uera esse credebant.

Argumenta quidem «contra», plerumque a Germanis et Britannis data, inuenies e.g. in (Lindsay 1894; Sommer 1914; Allen 1965, 1973); quorum in Allen 1973, p. 151, sine ullo pudore feruntur *Romani seruili modo* ('slavishly') *Graecos terminos adoptasse*. Quod de Americanis, eos quamquam ad scholam Britannicam propiores esse constat (ut e.g. Sturtevant 1940), interdum tamen alio aliud dixisse uidemus: uel omnino Latinam linguam accentu (*stress*) caruisse (Bennett 1898, 1899), uel propter priscam Romanam diglossiam utramque doctorum partem rectum suum habuisse (Abbot 1907; Kent 1946). Moderni autem Americani (Steriade 1988; Mester 1994; Sihler 1995; Baldi 2002), magna ex parte Alleni operibus freti, «dynamico» accento fauent – quamquam eorum opera ad aliam materiam uersa non multum noui de ipso Latino accentu et grammaticorum sententiis in se habent.

Eorum etiam, qui utramque opinionem conciliare uoluerunt, notandus est Lepschius, qui accentum Latinum exspirationem una cum tono habuisse dixit (Lepschy 1962); aliquid simile et in meo libro citato (c. 264) inueniri potest, sed hic id maxime animaduertendum est, utrum phoneticam, an phonologiam disputemus: nam quocumque modo sermonis uiui accentus enuntiabatur, phonologice tamen tonorum discriminem nihil ualebat.

Inter recentiores etiam illi commemorandi sunt, qui aliquas similitudines inter Latinorum et Aeolorum accentus adducunt (Капачёва 1987; Plantade 2010). Quas tamen opiniones, plus ad accentus locum normamque pertinentes, quam ad ipsam naturam, alio opere consideraturus sum; nonnulla uero iudicia in eodem libro (Белов 2009, cc. 142-149) Rutenice iam exposita sunt.

Quaecumque sit, etiam illi, qui tonalem accentus Latini hypothesis accipiunt, rarissime grammaticis Romanis consentiunt, cum quaestio de accentu flexo agitur. Solus notus mihi est Tronskius, qui admodum recentiore tempore

(Тронский 1951) accentum flexum in Latina lingua haberit putaret ulla tamen eius uirtute phonologica neglecta.² Mea quidem studia de accentus Latini natura restituenda eiusque historia exponenda, quibus hos decem annos dedi, quoque discrimen ostendunt inter ea, quae per linguarum doctrinam restituantur, et ea, quae a grammaticis antiquis (cum anterioribus, tum et posterioribus) nobis tradantur.

Per pauca de testimoniiis

Postiores grammatici, qui aetate Caesarum floruerunt, admodum bene inter se consentiunt, quomodo accentus Latini regulae explicitentur: saepissime enim (Diomedes K I, 431; Donatus K IV, 371; Sergius K V, 524 sqq.) de uariis uerborum exemplis agunt, quae syllabarum numero ac quantitate inter se diuiduntur. Ita monosyllaba, si correpta uocali facta sunt, accentum acutum habere (ut *píx*, *níx* et al.), flexum autem, si producta (*dôs*, *môs*, *flôs*). Omnem uocem disyllabam priorem syllabam aut acuere, aut flectere: acuere, si «positione longa» (ut *póntus*, *sóllers*) uel breuis (*déus*) sit, flectere, si longa sit natura (ut *Rôma*, *lûna*); sin autem natura longa sit alteraque syllaba quoque sit longa, illam acui oportere (ut *Rómâ*). Deinde, si ad trisyllaba et alia ueniatur, eodem modo in illis aut de syllabis acuendis (*Metéllus*, *látebrae*, *Fidénae*), uel flectendis dicunt (*Românus*, *Cethêgus*), si syllaba «natura longa» sit nec non eam altera (natura) longa sequatur. (Quae exempla ex Diomedis plerumque opere sumpta apud perplurimos eadem repetuntur.)

Haec testimonia fortasse indicia acuti ac flexi discriminis (et scilicet tonalis accentus formae) aestimari possent, nisi adeo diligenter Graecas regulas imitarentur, neque aliis eorundem grammaticorum testimoniis refutarentur. Ita Seruius, qui paene idem de accentibus scribit, una pagina antea (K IV, 425) *non licere in diuisione temporum syllabam scindi* affirmit. Pompeius (K V, 126), qui simpliciorem accentus regulam adducit, quae nostrae similis esse uidetur (*tunc tertiam a fine habere accentum, quando secunda a fine naturaliter breuis sit*) similem uerborum indicem, cum acutis ac flexis, quamquam admodum correptum, habet. Sed idem grammaticus *illam syllabam plus sonare dixit, quae accentum haberet* (ibid.).

Certe antiquiora testimonia, in quibus de ueris Latinis tonis dictum est, inspicere uoluerimus. Quae cum non tanto in numero seruata sint, multa incerta nobis praebent.

Solus locus, in quo accentus tonus est clare descriptus, Nigidi grammatici est (Figulus apud Gell. [13. 6]. fr. 21 *Funaioli*), ex quo accentum *gradatim* a summo tono descendere appetet. Quod certe est tonalis modulationis indicium, quamquam tonalem accentus formam non satis probat. Ex Varronis excerpto apud Sergium seruato (K IV, 525 sqq) similique loco apud Ps.-

² Secundum Tronskium, accentum flexum in lingua Latina non phonologicam speciem acuti fuisse in producta uocali. Qui tamen auctor nihil de iis, saepissime a ueteribus commemoratis, casibus dicit ut *RÔMÂ* : *RÓMÂ* (e.g. Diom. K I, 432). Nam hic difficillime putari fuerit accentus omnino quandam rem ad enuntiationem pertinentem in se habere posse (uid. etiam infra).

Priscianum (K III, 521) accipere possumus partem uerbi, quae communi uocis moto iuncta aut sursum, aut deorsum moueatur, per *arsin* et *thesin* definiri; syllabam, quae accentum habeat, arsis partem fuisse: *{nā-tū}-ra*. Etiam aliquid de tono medio ex Varronis fragmentis accipimus: eum terminum Graeci syllabae, quae acutae uel flexae confinis erat, sed non sub graui iacebat, attribuerunt. Quam utilis sit ille tonus medius ad Latinum accentum explicandum non bene nouimus (uid. etiam infra).

In Ciceronis *Oratore* (58-59) multis de uocis motibus dictum est, qui uero paene nihil ad prosodiam uerbi attinent: eum locum postea disputabimus. Quintilianus (I, 5, 22-24, 30; XII, 10, 33) aliquid de accentus loco dicit, sed non de tonis. Quamquam acutus ex flexus ab eo nominatim afferuntur, non bene liquet, quatenus ad enuntiandum pertineant, praeter id, quod media longa flexa esse potest. At eius uerba «*est autem in omni uoce utique acuta*» (I, 5, 30) ita intelligi possunt, ut *acuta* communis sit terminus omni sub accentu iacenti syllabae. Videas etiam (Plantade 2010), quo in opere Quintiliani testimonia disputantur.

Haec testimonia, ut uidemus, phoneticum toni motum bene indicant, qui pro dolor parum ad uocabula distinguenda ualet neque satis uidetur ut accentus Latinus sensu proprio tonalis fuisse habeatur (ut superiore loco iam diximus): non quia ulla toni modulatione caruisset (quin enim Itala moderna lingua modulationes in quinta a nonnullis habere aestimatur), sed quia haec modulatio, si erat, nullum effectum phonologicum per se dabat. Talis effectus per syllabicas et uocalis moras (apud ueteres *tempora*), quas in libris meis proposui, optime describi potest: in ea igitur lingua solum tonalis esse potest accentus, in qua longa syllaba, accentum in se ferens, quasi *in duas partes* – NB: *contra Seruum!* – diuidatur ut aliquod tonale discrimen inter ipsam syllabam ineuntem et exeuntem habeatur atque in eius linguae systemate operetur ac usurpetur. Si ita est, eam syllabam non tantum duas (*syllabicas*) moras habere aetimamus (quia est longa), sed etiam moras *uocalis*, quae tempore tonoque scindantur. Quam ob rem ut tonalis accentus sit, lingua 1^o) moris pollere et 2^o) uocalis moras sub accentu retinere debet: ut antiqua Graeca, Iaponica, Croata et multae aliae. Latina quidem lingua quamquam syllabicas (i.e. longarum breuiumque alternationem) habebat, uocalibus tamen moris – praeter (quod admitto) syllabas extremas – carebat: qua de causa cum Arabica lingua comparari potest atque accentus tonalis in ea «per definitionem» defuit.

Effusius haec argumenta v. in libro meo (Белов 2009, partt. II-III).

Quae mihi causa fuit ut grammaticorum opera diligentius perscrutarer atque eorum rationes, plerumque ad flexum accentum pertinentes, clariores intelligerem.

Tunc autem quoque commemorauerim praecipuum multis accentus Latini studiosis fontem non tantum originalia grammaticorum opera fuisse, quantum amplum et procul dubio excelsum, quamquam eodem tempore admodum obsoletum F. Schoelii commentarium (Schoell 1876). Vel potius dicendum est, non tantum ipsum commentarium obsoletum esse arbitror, quantum illam

opinionem communem, per quam nos ex fragmentis a Schoelio collectis omnes grammaticorum rationes reprehendere credimur.³

Quam ob rem igitur in studiis meis altera uia progredi statui. In primis praeter illam principem quaetionem, quatenus testimonia antiqua essent uera, altera quaestio non minor mihi curae fuit: quam recte nos hodierni grammaticos antiquos intelligeremus? Num illa uocabula, quae tradita haberemus – *accentus*, *prosodia*, *accentus acutus*, *accentus flexus* – eadem significant, quae uulgo putauissent? Quam ut soluerem plerumque usus sum iis textibus, qui in editione H. Keilii continerentur, nec non fragmentis ex libris a G. Funaioli et A. Mazzarino editis. Quos textus cum oculis meis percurrerem, maxime in animo habebam non uerba interpretari, sed rem, – quod omnino perfici non posse credo, nisi grammatica antiqua ab eius parente philosophia, et ea maxime Stoicorum, considerando non abscindatur.

2. De Stoicorum in grammatica uestigiis

In primis ea, quae ueteres (cum Graeci tum Romani) de prosodia et accentu tradiderunt, multo firmius cum Stoicorum ontologia uincta esse inueni, quam putare solent historici. Etiam ipsum terminum *accentum*, sine ullo dubio Romanam Graeciae προσῳδίας transpositionem (quod et antea clarum fuit) originem Stoicam habere puto.⁴

Quod ut faciam ecce quas rationes habeo.

(1) secundum Stoicos *animum* (etiam *spiritum*, Gr. πνεῦμα, quoque ψυχή *anima* cum non usurparetur ut terminus), qui media sit pars non solum microcosmi (hominis), uerum etiam macrocosmi (mundi), «extendi» (*διατείνει*) ex quodam principali loco (*ήγεμονικόν*) ad uarias sensibilis partes (fr. 826, 837-841, 911 *SVF*); quem locum principalem cum in mundo haberi tum et in homine (e.g. in corde, in capite aliisque locis...);

(2) *pneuma* multum habere commune cum *Logo* (λόγος), qui cum in macrocosmo tum in microcosmo exstet atque per se ipsum humanam linguam informet: inter quos discernantur *extraneus* (λόγος προφορικός), qui reddit sermonem sonorumque enuntiationem, et *internus* (λόγος ἐνδιάθετος,

³ Grammaticorum enim tractatus, siue a dignis auctoribus compositi, siue longa traditione prouecti, non singularium testimoniorum indices esse putandi, sed potius aliquis philosophorum doctrinis uel iuris corporibus comparandi uidentur, quae non tantum in singulis, quantum in toto cognoscantur.

⁴ Quae res eo modo intelligi potest: hic terminus, qui pristinam musicalem habuit naturam, ad artem grammaticam adhibitus sensum significationemque suam mutauit; quae adoptatio a Stoicis uel aliis eos secutis facta erat. Multorum Stoicorum nomina, quorum opera prosodiaca Varronis fontes existimari possunt, nominatim a Sergio redduntur (K V, 529 sqq.; Varr. fr. 282 (60) *Funaioli*).

‘interpositus’), per quem ipsa lingua fungatur (Sext. Emp. *Pyrr.* I, 65; fr. 135 SVF);

(3) multi grammaticorum palam uocabulum *tonus* (pro termino prosodiaco) ex uerbo *διατείνω* (‘extendo’) ortum esse explicant; simili modo et sensum interpretantur;

(4) nonnulli eorum palam dicunt *accentum animam uocis esse* (Diom. K I, 430; Pomp. K V, 126);

(5) idem Diomedes, cum de phoneticis rebus agit, palam Stoicos commemorat eosque aliquam phoneticam doctrinam habuisse dicit (*Vox est ut Stoicis uidetur spiritus tenuis auditu sensibilis, quantum in ipso est...*: K I, 420. Quoque notandum est uocabulum *spiritus*).

Quam ob rem Stoicos *προσῳδίαν* illam in uerbo cum *pneumate* in quois alio corpore extentum comparasse putaui, accentum autem ut praecipuum uocabuli locum quoddam *ἡγεμονκῷ* simile censuisse.

Id eo mihi utilius dictu uidetur, quod nunc omnes bene nouimus, Stoicos, qui doctrina logica maxime incumbare solebant, propriam suam signi doctrinam excogitasse triadaque semanticam (*σημαίνων, σημαινόμενον / λεκτόν, τυγχάνον*: Diog. Laert. VII, 62 et al.), paene similem nostro «*Frege triangulo*», in scholasticum usum induxisse. Cumque iidem Stoici de litteris (*στοιχεῖα, γράμματα*) disputantes eundem terminum et ad sermonem scriptam et ad sermonem enuntiandam usurpare soliti sint — ex quo quaeque littera praeter nomen etiam *figuram* suam (*χαρακτήρ*: Diog. Laert. VII, 56) habebat, et apud posteriores grammaticos occurribant talia testimonia:

Elementum est indiuisibilis materia uocis articulatae uel uniuscuiusque rei initium, a quo sumitur incrementum et in quod resoluitur. Huius *figura* littera uocatur. Et sunt omnes figurae litterarum numero XXIII. Sed harum *potestates*, quas elementa nominamus, plurimae intelliguntur (Diomedes K I, 421)

Nam accident unicuique litterae *nomen figura potestas*. *Nomen* est quo appellatur, *figura* qua notatur, *potestas* qua ualet (Marius Vict. K VI, 6)

— nihil aliis restat ut accipiam *prosodiam* (Lat. *accentum*) praeter nomen suum et (phoneticam) «*potestatem*» etiam *figuram*, i.e. scriptam formam habuisse, quae eandem per rationem quoque *προσῳδία* uel accentus nominari debebat.

Quae omnia simul ac cognouerim, eos prosodiacos terminos, quos supra commemorauimus, quodam modo certius intelligendos esse putaui.

Προσῳδία igitur, quae Latine *accentus* reddatur, est, in primis, illud, quomodo tonus per uerbi longitudinem moduletur (ut ita dicam *motus*

*prosodiacus*⁵), et postea locus quidam, in quo hic motus ad maximum suum peruenit (ut ita dicam *cacumen prosodiacum*).⁶

Cum igitur ueteres de uocabulis ἡ ὀξεῖα προσῳδία (= *accentus acutus*) uel de ἡ περισπωμένη προσῳδία (*accentus flexus*) agerent, simili modo de *totius uerbi* motu prosodiaco cogitare poterant; quam ob rem ἡ ὀξεῖα προσῳδία tunc exstat, cum uerbum ita enuntiatur, ut in *tota prosodiaca forma sua* aliquid acuti simile habeat. Quae metaphora, ut liquet, plus ad loci latitudinem ualet, quam ad altitudinem: sicut acutus gladius aciem habere debeat tenuissimam, quo ipse acrior sit, sicut tenuissima chorda acerrimum (et altissimum) sonum reddat, ita uerbum, si tenussimum habeat cacumen, acutissimum motum per se dat. Sed quid est tenuissimum (uel acutissimum) cacumen? Si morarum terminis utamur, id cacumen tenuissimum putarimus, quod unam uocalem moram occupans nullam post se aliam moram in *eadem syllaba* uacare sinit (i.e. aut in breui syllabae contineatur [ό], aut in ‘dextra’ parte natura longae situm sit: [οό] = ω); si autem syllaba duas habet moras, quarum prima cacumen possideat, altera tamen non ([όο] = ω), tunc sine dubio, motum quasi flexum habebimus: nam in eadem syllaba morarum (et eo ipso accentus) discrimen uideatur. Cf. Graec. παντοίως ‘uarie’ (ubi syllaba extrema incipit simul post cacumen) et παντοῖος ‘uarius’ (ubi eadem syllaba alteram moram post cacumen habet).⁷ Clarum est quod tale discrimen solum in Graeca lingua phonologicam uirtutem habebat, in qua tantum (si Graecam et Latinam comparamus) uocalium morarum discrimen esse posset.⁸

Cum tamen de Latina lingua disputamus, quae uocalibus moris tempore historico omnino caruit (praeter, quod putari potest, nonnullas syllabas extremas, ad accentum nihil ualentibus) magnam difficultatem habemus eodem modo terminos *accentus (prosodia) acutus / flexus* explanentes, qui saepissime et apud posteriores grammaticos occurrere solet.

Sed hic nobis id subsidio uenit, quod superiore loco iam disputauimus: nam praeter eos duos praecipuos tertium termini προσῳδία / *accentus* sensum

⁵ Pars uerbi eodem motu prosodiaco enuntiata ab antiquis per *arsin* et *thesin* terminos designabatur (Ps.-Prisc. K III, 521); apud Varrorem (fr. 278 *Funaioli*) uidemus: *Ab altitudine discernunt accentus, cum pars uerbi aut in graue deprimitur, aut sublimatur in acutum.*

⁶ Putare licet Graecis primum maioris fuisse, Romanis alterum. Graecos autem aetate classica Iaponis similis fuisse puto hodiernis, qui facillime totius uerbi tonos intelligent maximeque laborentur, quota syllaba accentum ferat interrogati (Алпатов *et al.* 2000, c. 90). Etiam commemorandus est Nigidius Figulus, qui *uoculatiō* (quasi *ululatio!*) proprium suum terminum proposuit ut, quatenus ex paupere fragmento (Figulus apud Gell. [13, 26], fr. 9 *Funaioli*) intelligi potest, Graecum uocabulum προσῳδία in primo sensu certius redderet (Белов 2009, cc. 255-256).

⁷ Secundum Kiparsky (1973, p. 836) id *rightward spread* nuncupatur.

⁸ Notandum est, non omnes longas syllabas in Graeca duas moras uocalis habuisse: tales enim morae aut in syllaba extrema fuerunt (si producta uocali erat (ut δώρων) siue duabus consonantibus exibat, ut Φοίνιξ (uid. Belov 2010 in quo etiam acutus probatur), aut, si non in extrema, in cacuminata tantum syllaba, si productam uocalem sub accentu habebat (δῶρον).

inuenimus: i.e. ‘SIGNVM, NOTA’, quae aliquem locum in scripta uocabuli forma notat: uel sonantis accentus, uel aspirationis, uel productae/correptae litterae. Cf. Diom. K. I, 431, in quo fragmento omnes tres uocabuli potestates nobis dari suspicor:

Accentus quidam fastigia uocarueunt, quod *in capitibus litterarum* ponerentur; alii tenores uel sonos appellant; non nulli cacumina retinere maluerunt.

Etiam hic locus notandus, ubi certe uariis de signis agatur:

Ceteri non magis accentus, quam *nota* grauium, uel longarum syllabarum, adspiratarum et exilium indicantur, quorum nomine sunt breuis longus adspiratio, exilitas... Illi uero accentus, qui humilitatem uel altitudinem syllabarum ostendunt, id est acutus, grauis, circumflexus (Audax, K VII, 357).

Quae interpretatio non solum pluribus quam XXV grammaticis fontibus congruitur (Белов 2009, cc. 196-204, 252-262), sed etiam cum nonnullis papyris, quae a Cavenaile (1958) medio XX saeculo editae erant.

In primis notanda est papyrus Nessaniensis (*P. Colt.* 1, in Palaestina, prope contemp. Ujah al-Hafir anno 1936 inuenta, aetati post saec. v AD attributa), quae glossas ad tres Aenidos libros (I, II, IV) uariis «accentibus» instructas et inter eos nonnullis secundum illas grammaticorum regulas positis in se continet⁹. Haec omnia pro scholari usus indiciis accipienda sunt.

Altera notanda est papyrus Antioensis (saec. VI AD), quae VII Iuuenal is Satura euersus (149-198), adeo diligentissime acuti grauisque accentus, quantitatis signis atque notis criticis distinctos seruat, ut ipse editor hanc cuiusdam pristinae traditionis indicium esse aestimauit (Cavenaile 1958, pp. 114-117)¹⁰.

Sunt etiam nonnulla alia documenta et admodum uetera, quae, quamquam sine flexi accentus notis, traditionem textus distinguendi apud ueteres (et, quod arbitror, plerumque in scholis grammaticis) habitam nobis diligenter seruant (uide e.g. *P. Gen. Lat.* 7 in Cavenaile 1958, pp. 139-140).

Puer enim qui aetate uergentis Latinitatis acrisque discriminis inter sermonem scriptum et sermonem cotidianum (quam rem interdum diglossiam uocant) uixit, nullo modo aliter uoces suas pronuntiare potuisset, quam assuetus erat; sed cum uocabula ut *RÔMA* aut *RÓMA* in codicibus papyrisque uidebat, tunc

⁹ Ita habemus *certâre*, *vidêre*, *Saêvus* (CAVENAILE 1958/1956, p. 35.), *terebrâre* (idem, p. 36) una cum e.g. *negábo* (p. 43) uel *recüsso* (p. 38). Quae tamen notae non eodem more sunt positae: non omnia uocabula sunt notis instructa neque semper in producta littera (ubi licet) flexum accentum habemus, quod certe nullum pronuntiandi discrimen inter acutum et flexum indicit.

¹⁰ Cum ipsa papyrus flexi accentus notis careat, uideas (КУЗНЕЦОВ 2006, cc. 26-28), ubi optimus eius rei commentarius datur.

qui casus esset, utrum subiectum an obiectum, quique sensus esset etc., faciliter accipiebat, quod (haud dubium) utile erat «ad orationis uitia euitanda».

Quam ob rem talia uerba ut *syllaba acuitur, grauis ponitur etc.*, quae saepissime apud grammaticos inuenimus, in eorum operibus ad talem scholarem usum scriptis id significabant, quod, cum scriberetur, acuti (uel grauis) accentus *nota ponenda* erat¹¹; phoneticam uerum partem id nihil contingebat – praeter id sane, quod accentus locus notis distinguebatur. Sed cum esset magistris necessarium eas notas explanare, ii ad ueteres auctoritates se uertebant, in primis ad Varronem et alios, quorum doctrina a Stoicis Graecis profecta erat; quam ob rem ueteres alienaque lingua uenientes explanationes non spernendae magistris uidebantur, sed (cum a ueris auctoritatibus datae essent) pluris facienda. Et re uera, saepissime uidere possumus ueteres grammaticos et auctores non discernere (uel potius nolle discernere) Graeca phenomena a Latinis (uide e.g. Ciceronis *Orat.* 58-59, Sergi K IV, 525 etc.); cum eos textus legis, non clare intelligis, utrum scriptor de Latina agat, an de Graeca, an de utraque an de omni lingua in generali. Haec res quoque est cuique lectori diligentissime animaduertenda.

3. De ‘cribri prosodiaci’ apud grammaticos uestigiis

Quo modo igitur uetera testimonia de uariis accentuum formis tonisque in lingua Latina sunt nobis consideranda?

Ego quidem hic quattuor casus uideo.

1. In perplurimis locis de scripti sermonis notis agitur, quae paene nihil ad prosodiam ueram, cum classicam, tum auctoribus contemporaneam pertinent, sed, quod dolendum est, saepissime a nonnullis hodiernis non recte, tamquam sonantis uocis indicia, uel uera uel falsa intelligebantur. In re hic aliiquid ei simile uidemus, quod in Slavonica Ecclesiastica lingua fuit, uel apud (recentiores) Graecos, priusquam ad μονοτονικό σύστημα uenerunt.

2. Multis in locis grammatici de rebus phoneticis ad tonos ueros pertinentibus agunt, quae tamen

- (a) aut similiter (ex analogia) ex Graeca in Latinam translatae erant (ut de tono medio, qui neque in Graeca neque in Latina lingua aliquid phonologiae dabat);
- (b) aut quae ad tales «tonos» pertinent, qui in utraque lingua fuerunt, sed tamen nihil commune cum *uerbi* accentu habebant: hae sunt modulationes quae in sententia enuntianda oriuntur, uel ea,

¹¹ Cf. Ps.-Sergius K IV, 532: *Mediae uero [prosodiae], cuius nunc usus non habetur, notam non ponimus, quia neque a maioribus accepimus, neque fingere possumus.*

quae uarios humanae animi motus exprimant et saepissime ab oratoribus usurpata sunt (cf. Ciceronis *Orat.* 58-59)¹²;

(c) in casibus singularibus apud ueteres (Varronem, Sergium, Quintilianum) aliquid de ueris Latini accentus tonis agitur.

Vlta tantum testimonia¹³, quod clarum est, aliquam difficultatem explanandi praebent. In (Белов 2009, cc. 258-259), haec difficultas per *cribrum prosodiacum* soluitur, quod eius cribri phonetici, a Trubezkoy (1939) olim proposito, analogus est; phoneticum illud cribrum nunc apud nos magnum usum habet inter magistros, qui Rutenam linguam studiosos peregrinos docent.

Peregrinus enim (quod nunc bene apud nos notum est) cum alterius linguae dictiones audit, non earum sonos ipsos per se intelligit, sed eo modo, quo proprium eius sistema phonologicum, tamquam cribrum operans, patitur. Haec grauissima causa est cum errorum enuntiandi, tum earum rerum, quae in Liuii sermone eius Patauiensem originem aperiebant, in Ausoni eius Gallicum: quod tamen oritur non propterea, quod non bene audiatur, sed propterea, quod ille, qui audiat, non recte de alienae linguae sonis iudicat.

Ita Dr. Anna A. Korosteleva, doctissima mea collega, quae non solum peritissima est in Rutenia lingua peregrinis docenda sed etiam Serica lingua bene uti potest, mihi narrabat, quam saepe Seres modulationem interrogandi (sursum euntem), qua Ruteni utuntur, pro secundo Serico tono (quoque sursum eunti) falso modo intelligent. E.g. Rutenus interrogat Serem, quomodo sit in eius lingua ‘equus’. Hic respondet: «*mă³*» (cum tertio tono, qui primum deorsum it, postea sursum). Rutenus non bene audiuit: «*MÁ?* » (cum Rutenia interrogandi modulatione, sursum). «*Non ita*», respondet peregrinus, «*mă²* est quasi ‘uenenum’, ‘equus’ tamen *mă³*».¹⁴

Et ego quoque, cum de primis grammaticis Latinis, qui, ut Tyrannio (qui Varroni maxima auctoritas fuisse uidetur) et alii, ex Graecorum stripe orti erant, cogito, simillimam accentum interpositionem fuisse suspicor. Nam non mirabile fuerit, si in prima eorum lingua, quae certe fuit Graeca, saeculo III-II a. Ch.n. nondum funditus sint extritae morae uocales (scilicet et accentus tonalis); sed in

¹² Res quae in eo loco praeclaro disputatur, communis est rhetoricae antiquae: nam quaecumque exquisita sit metris modisque suis oratio, nullo modo oratori licet eam quasi cantum uel uersum facere (cf. Cic. *Brut.* 32). *Oratorem imperitum* secundum Ciceronem *faciliter in eum errorem incidere posse et eo magis, quod ab ipsa natura uocis impellitur, quae quasi «cantum obscuriore» (latentem) in se habeat et eum (inter alia?) accentu exprimat*. Varios tamen uocis motus (flexionem, depressionem etc.) ab oratore, quamquam modice, adhiberi posse. Hic nihil ad accentus tonos pertinere video; ne acuta quidem uox quidquam nobis dat, cum non liqueat, si terminus sit et qua de lingua agatur; cf. cum altera explanatione, a Perrino facta (1970, pp. 9-10).

¹³ Et maxima eorum pars accentum flexum in producta littera fuisse indicat, acutum in correptis.

¹⁴ Белов 2009, c. 259. Quomodo aliena prosodia cum nativa conferatur, admodum nouus opusculorum liber narrat (Trouvain & Gut 2007).

iisdem categoriis per necessitatem interpretari debuerint Graeci etiam accentum Latinum: si producta uocalis, quae est in cacumine, nescio quibusdam de causis accipiebat tonum¹⁵, talis accentus iis flexus uideri poterat; si correpta, ille acutus uidebatur. Quod eo facilius effici potuit, si recte dixit Allen (1973) accentum Latinum ‘diminuendo’ formam habuisse.

Quod etiam confirmari potest et ex Herodiani textibus, ubi in sumptis uocabulis accentus Latinus in longo a Graecis flexus tradebatur, in breui tamen non: *Σαβῖνα* (*Sabīna*), *Φαυστῖνα* (*Faustīna*), *Ιουστῖνα* (*Iūstīna*), *Κονσταντῖνα* (*Cōnstantīna*), *Πλωτῖνα* (*Plōtīna*) (Herod. *De prosodia cath.* 3, 1, 258 Lentz), *Ἀντωνῖνα* (*Antōnīna*) (Herod. *De orth.* 3, 2, 455 Lentz). Haec bene comparari possunt et cum iis, quae grammatici de monosyllabis ut *dōs* tradiderunt: ea enim «accentum flexum» in producta littera habere.

Et quamquam igitur phenomena admodum uaria sub Graecis et Latinis terminis latebant, ea res faciliter non esse poterat Romanis nimis notabilis, qui propter idem prosodiacum cribrum similiter acerrimum inter Latinum ac Graecum accentus discrimen non uiderent¹⁶. Postquam uocales morae ex Graeca lingua eliminata sunt, phoneticum discrimen inter utriusque linguae accentus multo obscurius factum est. At in sermone scripto hoc notarum systema utrique linguae admodum aptum multos annos non sine laude usurpatum est.

Quam ob rem haec omnia, quae ueteres Romani grammatici de accentu Latino scripserunt, non uitiosum, uberrimum tamen fontem esse arbitror, et non iis quidem solum, qui accentus regulas quaerunt, uerum etiam omnibus humanitatis nostrae studiosis, qui grammaticam non omnibus rebus absolutam considerant, sed tota cum humanitate nec non sapientiae doctrina imbuunt. Hic fons est aquae saluberrimae, quam tamen cum bibas, doctorum consilia quaeras, quid, quando et quatenus ea tibi prodesse possit, quandoque cauendum sit. Vt aptissime olim noster Theodorus Petrovskius: «*Per se certe liquet*» ait «*nullum habemus exposcendi ius ut auctor — et ille quidem antiquus — eodem modo eodemque ordine rem suam exponat, qui nobis utilissimus necessariusque uideatur*» (Петровский 1957).

¹⁵ Causae re uera uariae esse poterant. E.g. 1) accentus Latinus habuit in se (non phonologicum) tonum: ut in Anglica uel Itala moderna lingua (uide etiam Lepschy 1962); 2) syllaba accipiebat modulationem ex phrasii; 3) modulationes ex figuris rhetoricais oriebantur...

¹⁶ Quod tamen interdum uideri potest in ueterum auctorum operibus, ut Quintiliani (XII, 10, 33), qui Latinos accentus «*minus suaves*» appellat, quam Graecos: sed eius uerba aliter quoque tractari possunt, si non tam de enuntiandi suauitate, quam de accentus mobilitate agitur.

CONSPECTVS LIBRORVM

- ABBOT F. F. 1907, « The accent in vulgar and formal latin », *Classical Philology* 1, p. 444-460.
- ALLEN W. S. 1965, *Vox Latina. A Guide to the Pronunciation of Classical Latin*, Cambridge University Press.
- 1973, *Accent and Rhythm*, Cambridge University Press.
- BALDI P. 2002, *The Foundations of Latin*, Berlin – N.Y.
- BELOV A. M. 2010, « De accentus Graeci regula ad monosyllabas pertinenti », *Aristeas* 2, p. 9-14.
- BENLOEW L. 1847, *De l'accentuation dans les langues indo-européennes tant anciennes que modernes*, Paris & Alger.
- BENNETT C. E. 1898, « What was ictus in latin prosody », *American Journal of Philology* 19, p. 361-383.
- 1899, *The Quantitative Reading of Latin Poetry*, Boston – Chicago.
- CAVENAILE R. (ed.) 1958, *Corpus papyrorum Latinarum*, Wiesbaden.
- JAKOBSON R. 1962, *Selected Writings. Vol. I: Phonological Studies*, Gravenhage.
- 1962/1937a, « On ancient Greek prosody », in Jakobson 1962, I, p. 262-271.
- 1962/1937b, « Über die Beschaffenheit der prosodischen Gegensätze », in Jakobson 1962, I, p. 254-261.
- JURET A.-C. 1921, *Manuel de phonétique latine*, Paris.
- 1938, *La phonétique latine*, Paris.
- KENT R. G. 1946, *The Sounds of Latin*, Baltimore.
- KIPARSKY P. 1973, « The inflectional accent in Indo-European », *Language* 49, p. 794-849.
- LEPSCHY G. C. 1962, « Il problema dell'accento latino. Rassegna critica di studi sull'accento latino », *Annali della scuola normale superiore di Pisa. Lettere, storia e filosofia*, serie II, v. 31, p. 199-246.
- LINDSAY W. M. 1894, *The Latin Language*, Oxford.

- MEILLET A. & VENDRYES J. 1948, *Traité de grammaire comparée des langues classiques*, Paris.
- MESTER R. A. 1994, « The quantitative trochee in latin », *Natural Language and Linguistic Theory* 12, p. 1-61.
- NIEDERMANN M. 1945, *Précis de phonétique historique du latin*, Paris.
- PERRINI G. B. 1970, *L'accento latino*, Bologna.
- PLANTADE E. 2010, « *Apud nos uero breuissima ratio* (I. O. 1, 5, 29). Hypothèses sur la grammatisation de l'accent latin et sur la formation de la loi de la pénultième longue accentuée », *Eruditio Antiqua* 2, 1-16.
- SCHOELL F. 1876, « De accentu linguae latinae ueterum grammaticorum testimonia », *Acta societatis philologiae Leipsiensis* 6, p. 1-231.
- SIHLER A. 1995, *New Comparative Grammar of Greek and Latin*, N.Y. – Oxford.
- SCHMITT A. 1924, *Untersuchungen zur allgemeinen Akzentlehre*, Heidelberg.
- SOMMER F. 1914, *Lateinische Laut- und Formenlehre*, Heidelberg.
- STERIADE D. 1988, « Greek accent: a case for preserving structure », *Linguistic Inquiry* 19 (2), p. 271-314.
- STURTEVANT E. H. 1940, *The Pronunciation of Greek and Latin*. Baltimore, 2nd edition.
- TROUVAIN J. & GUT U. (eds.) 2007, *Non-Native Prosody. Phonetic Description and Teaching Practice*, Berlin – N.Y.
- АЛПАТОВ В. М., ВАРДУЛЬ И. Ф. & СТАРОСТИН С. А. 2000, *Грамматика японского языка* [Grammatica Iaponica], М.: Наука.
- БЕЛОВ А. М. 2009, *Латинское ударение (проблемы реконструкции)* [De accentu Latino], М.: Academia.
- КАРАСЁВА Т. А. 1987, *Историческая фонетика латинского языка* [Historica linguae Latinae phonetica], М.
- КУЗНЕЦОВ А. Е. 2006, *Ars brevis. Латинская метрика* [De metrica Latina], Тула: Гриф.
- ПЕТРОВСКИЙ Ф. А. 1957, Сочинение Аристотеля о поэтическом искусстве [In Aristotelis ‘Poeticam’] In Аристотель. *Об искусстве поэзии*, М.

ТРОНСКИЙ И. М. 1951, К вопросу о латинском ударении [Notae ad accentum Latinum disputandum]. In *Памяти академика Льва Владимировича Щербы, Л.*

— 1953, *Очерки из истории латинского языка* [Commentarii de Latinae lingua historia], М.-Л.

TRUBETZKOY N. S. 1939, *Grundzüge der Phonologie*, Praha.